

QK. 294.

v. Gersdorff

21



PIA VOTA

VIRO

*Per - Illustri, Generoso maximè &
Excellentissimo,*

DN. NICOLAÔ Â GERSDORFF

In Baruth, Brötenig & Hausvvaldâ Toparchæ &c.
Serenisf. Elect. Saxon. Consiliario Intimo, & Comiti
cubiculario &c.

Domino Patrono & Mecænati Gratosissimo &c.

Pro felici ineuntis Anni auspicio, loco Strenæ, de-
bitæ venerationis & gratitudinis ergò,
dicata.

d. 1. Jan. anno 1667,

â

**M. JOH. BOHEMO Poët. Cæsar. in Electorali
Dresdâ Rectore.**

*DRESDÆ,
Typis Bergenianis.*



ELapso agamVs o plas
Pro praestitIs nobIs Deo grates bene!
BonltatIbVs toto hoC In anno prosperè!
IVglter ergò Deo sit soLI gLoria nostro
IManVeLI!



In Christi aggredior benè nomine, Io Va, Labores,
 ô his oro faVe!

D Er sua puncta novus duodena revolvitur Annus,
 In cyclosq; suos hora diesq; redit.
 Atque Calendarum lux optatissima JANI
 Rursus adest precibus lux celebranda sacris.

Sic Deus endo suo disponit secula mundo,
 Et per concinnas dirigit illa vices.

Seu letis fruimur, seu tristibus utimur Horis,
 Arbitrio justis fit sapiente Dei.

Exsurgo, & solvo grates ex corde Jehovæ
 Pro summis donis corporis atque animi.

Exsurgo, rursusq; meas in Nomine Patris,
 Et Fili, & sancti Flaminis edo preces.

Quò sit meta mali vetus annus; sit novus Annus
 Omnigeni nobis meta sed usque Boni!

Et pro more pio si mittit Amicus Amico
 Strenas, bas strenas mitto, Patronè, pius.

Sed Tibi quas mittam strenas, quæ Xenia? tanti
 Carmina non mea sunt. Omnia & antea babes.

Est opus insolitum, tanto dare dona Patrono:
 Insolitum baud facit is, qui pia vota vovet.

Nam,

* NICOL à
Gersdorff
Vivat pro-
spere iter, Ita
plè iam ro-
gato!

Nam quò quis major, precibus magis indige
Functio permagnam magna requirit open.
* Vota precesq; igitur dabo, vota ex pectore fusa,
Pro longâ vitâ, proq; salute tuâ.
Heroum palmare DECUS, Gersdorffe, coruscum
Stemmatis illustris Lumen Honosq; tui.
Scipio justitiæ, nostri mera gloria secli,
Præsidium Aonidum nobile, dulce DECUS.
Atq; Bono publico benè natus, Saxonis Aulam
Splendore irradians, Sol ut in axe polum.
Vota dabo atq; preces. Animus tete ardet amando,
Qualiter inducto sulphure tæda solet.
Insuper & munus missò pro munere mittam:
Munus, quò melius, divitiusq; nihil.
Munus erit JESUS. ô munus amabile! JESU
Nil majus mundus nobiliusq; tenet.
JESUS astrimici gyrante volumine cœli
Temporis exortus interitusq; regens,
Sit tua Strena, salus tua, spes tua, vita fit, atque
Quod disconducit, tollat id omne procul.
Det copes & opes, Tibi cœli gratia amœnet
Larga domum, largus sit Cibicida tuus.
Hic Tibi principium, medium, finemq; secundet,
Quodquod obibis opus, prosperet atque beet.
Quo fers cunqve gradum, rutili Custodia cœli
Dempto sine Tibi stipet utrumqve latus!
Tecum

Tecum habitet cum Patre DEO, cum Flamine
sancto,

JESUS pro Strenâ hæc strenua vota cape!
Salve ita Patris Amor Patriæ, quo Patria salvo
Salva est, stat cujus nostra salute salus.
Usque inter, quibus est Germania fulta, columnas
Crescat Rutigerum nobile stemma Ducum.
Romanum Imperium sit concors! absit & omne
Pacis discidium disfidiumq; procul.
Et sic Majestas legum illabefacta virebit,
Pax stabit, stabit Religionis Honos.
Saxonis Atlas eris, dicebam sæpè, quod ipse,
Noſti, eris Enſigeri * Gloria magna Ducis.
Electoris eris, dixi, pars prima Senatus.
Vox Præceptoris, vox ea sæpè DEI.
Et lateri adstabis Bulevta, negotia rerum,
Intima Consiliis expediesq; tuis.
Præstitit eventum DEUS. Ecce es Scævola factus
Consilians, factus Principis Os & Amor.
Sunt ubi virtutum merita, en ibi præmia Hono-
rum;

Ignorat virtus delituisse diu.
Te quoties Saxo Legatum misit ad ipsum
Cæsara? Te quoties misit in Imperium?
Imperii Proceres, (Tibi nil impalpo sub aurem.)
Laudabant curis Exquæpedita tuis.

SUA-

* Nicolaus
à Gersdorf.
Anagr. e in i
mutato.
Gloria Du-
cis. Forſan.

*Suavis es & gravis es. Te virtus entbeat, & jam
 Ponere te nescit nobiliore gradu.
 Forsan major eris. Sederis. Sic auguror. Illud
 Divitia spondent mentis & ingenii.
 Virtus sola solo, solus Deus aethere regnat,
 Hac majora dabit propria facta Tibi.
 Vive diu saluus, viridique fruare senectâ,
 Gratia dum meritis redditur aequa tuis.
 Hic & in axe DEUS Tibi largitur usque refundat,
 Atque Tuis, largâ munera missa manu.
 Quae Musis praestas, miseris quae munera Egenis,
 Largiris nostra quae Benefacta Scholae,
 Publica fama refert; grato studiosa Juventus
 Praedicat ore pie, & prospera cuncta vovet.
 Centum * Florenos, dicam, † (Northusius alter
 Es) mihi donabas, Sponte, Patronae, tuâ.
 Sensibus hanc imis (namque est res digna) reponere,
 Quisquis es est rarus talis in orbe Dator.
 Impietas esset tacuisse hoc. Dico: futurum est,
 Ut Meccenatis nomen in orbe geras.
 Non opis est nostrae dignas persolvere grates,
 Tentet id Ascreus Mæoniusque Pater.
 Vive diu felix! Benefacta hac Jova rependat
 Uberrimè aeternis corporis atque Bonis.
 Det vegetum corpus, roburque fidele senectae,
 Voti Successus, & Bona quaeque Tibi!*

Vive

* d. 8. Dec.
 1666.
 † Generosus
 Dn. Caspar
 à Nordhau-
 sen Salis-
 gravinus Halæ
 Saxon. d. 3.
 Martii 1631.
 Centum do-
 nabat flore-
 nos. Vide
 Gratiarum
 Actionē, &
 Paranesin
 meam ad
 Studia Lin-
 guarum.
 pag. 193.

Vive diu sospes! venient, mibi crede, Marones,
Qui tua post obitum facta Decusque canent.
Te benè perpetuò sapientia dia gubernet
De cœlis, ortu nobilis, arte Sophus.
Omnes felici decurrant sidere menses,
Nox mala nulla Tibi sit, mala nulla dies!
Sis faustus benè. Phlegma vetus vetus exspuat
annus,
Et faustam novus hic ordinet ire viam.
Sis fortunatus cunctis in rebus agendis,
Fortunæq; supra fulmina tolle caput.
Quò fiat: repeto mea vota ex corde profusa,
Duplico, conduplico, triplico, quadruplico.
Quintuplico ter, sextuplico ter, septuplico ter,
Octuplico aternus noncuplicoq; cliens.
Centuplicabo, imò velmillecuplabo. Benignus
Clementi hasce preces audiet, aure Deus!
Vive DEO, & Patriæ Patri, benè vive Tuisq;
Atq;ve Bono publico, vive mibi atq;ve Meis.
Succrescat Soboles, crescat generosa Propago,
Et crescet prisca nobilitatis Honos.
Tarda torum Lachesis violet. Lectissima Conjux
Vivat Eva & faciat Te Catharina Patrem
Sapè. In virtutes Jan-Geòrgus crescat avitas,
Illustrem & referat Te pietate Patrem.
Divino ingenio referat, virtutibus æquet,
Nec Tibi doctrina cedat amore Patri.

Et

Et Marie Sophie simili virtute adolescat,
Gaudia quæ Matris, deliciæq; Patris.
Illustri illustres crescant è stirpe Nepotes,
Clareat æternum Gens pia, clara, vetus.
Tarda sit illa dies. Annalibus indita seris,
Quæ Te inter sidus sidera celsa locet!
Quod precer ulterius, nihil est. Hoc apprecor unum:
Det Deus ætatem; cætera cuncta dedit!
O JESU veteris novi & anni maxime Præsul,
Hæc quæ pro Strenâ strenua vota fero,
Firma! Gersdorffus, (firma pia vota!) salute
Perpetuò omnigenâ sit benedictus! erit.

SOLO OMNIPOTENTI DEO SIT LAVS
& GLORIA IVGITER!



76 3310

OK

1077 11

QK. 294.

v. Gers

21

PIA V

VIR

Per-Illustri, Gener

Excellenti

DN. NICOLAÔ

In Baruth, Brötenig & Hau

Serenisf. Elect. Saxon. Confil
cubicularic

Domino Patrono & Mecæ.

Pro felici ineuntis Anni auf

bitæ venerationis & g
dicata

d. 1. Jan. an

â

M. JOH. BOHEMO Poët.

Dresdâ Re

DRESD

Typis Berge



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

